

do, et ordinando, quia finis movet, et ordinat cæteras causas. Et respectu hujus motionis, et ordinationis entitas, et substantia actus, etiam secundum speciem, et ex objecto sumpti, materialiter se habere dicitur, quia suscipit ordinationem illam. Et aliquando finis ille accidentaliter se habet ad talem actum, quia potest sine illo haberi; ut cum eleemosyna fit propter pœnitentiam, aut alium finem extrinsecum, sine quo salvari potest; aliquando comparatur per se ad talem actum, ut cum contritio fit propter Deum ex imperio charitatis, a qua per se dependet.

XVI. Quod autem diximus de fine movente et dirigente, quod se habet ut formale respectu actus finalizati et ordinati, etiam suo modo dici debet de principio effective movente, et applicante ad exercitium actus; nam post causam finalem, quæ est prima in movendo, intrat causa agens, seu effectiva, quæ etiam movet agendo sicut finis finalizando, et ita in quantum movet formaliter se habet, et id quod est motum materialiter, quia movens ut movens est in actu, et in forma, et mobile ut mobile est in potentia, et materialiter. Sicut autem movere per modum finis pertinet ad intellectum, qui finem proponit ut alliciat, ita movere per modum agentis, et applicantis, et impellentis pertinet ad voluntatem, quæ cæteras potentias agit, et impellit efficacia sua.

XVII. Hinc fit, quod quando concurrunt ad unum actum duæ potentia, una ut movens, altera ut mota, licet semper id quod ex parte moventis se tenet, sit formale, tamen quando movens est per modum finis, illud formale in movendo, tenet se ex parte intellectus, qui proponit finem, et materiale, seu motum tenet se ex parte voluntatis, ibique consummatur, et exercetur motus.

Quando autem movens est ex parte voluntatis, e converso se habet, quia formale, seu activum ex parte voluntatis se tenet, et materiale, seu motum ex parte intellectus, vel alterius potentia, quæ movetur. Et ideo cum istæ duæ potentia, scilicet intellectus, et voluntas ad invicem se habeant ut movens, et motum, licet in diverso genere causæ, intellectus quidem est movens specificative, seu objective ut proponens objectum, et in hoc genere voluntas est mota: voluntas vero est movens active, seu effective quasi applicans, seu impellens, in quo genere intellectus, et aliæ potentia sunt motæ, et materialiter se habent; ideo D. Thomas ad discernendum ad quam potentiam actus aliquis entitative pertineat, quando ex duplici potentia specialiter pendet, semper quidem attendit ad id quod in tali actu materialiter se habet, et quasi motum, hoc enim est ipsa substantia et entitas actus, id vero quod formale est, seu movens, quasi extrinsece, et directive, aut motive se habet, sed tamen aliquando hoc movens tenet se ex parte voluntatis, aliquando ex parte intellectus; et ideo oportet diverso modo applicare hoc principium juxta modum, et naturam ipsius actus, de quo agitur.

XVIII. Nec variatur ratio D. Thomæ et principium in quo nititur, ex eo quod aliquando constituit actum aliquem in voluntate, quia voluntas est movens cæteras potentias, aliquando ex eo quod in illo actu est mota, et materialiter se habet ad intellectum ordinantem, et moventem: nec enim repugnat, quod voluntas quæ est potentia movens effective respectu aliarum potentiarum sit mota in alio genere, et sic illud movere materialiter se habeat, et quasi ortum, et derivatum ex alia priori ordinatione, et motione, et

sic totum, et præcipuum exercitium illius actus sit movere alias potentias applicative, sicut in intentione, et usu statim dicemus. Aliquando vero e contra exercitium alicujus actus consistit, et fit per ipsam ordinationem, et manifestationem rationis, originatur vero et deducitur ex aliqua applicatione, et impetu voluntatis, unde sumit vim, et tunc habet se materialiter, et ut motum id quod ex parte intellectus se tenet, movens vero causative, et originative est voluntas, ut in lege, et imperio. Quare in sensu formali oportet semper procedere, scilicet sub formalitate moventis, et moti, et in eo genere in quo aliquid se habet ut movens, præsuppositive, et antecedenter se habet ad actum; in eo autem in quo se habet ut motum, cum ibi consummetur actus, et exerceatur, ibi formaliter est entitas ejus. Potest tamen contingere quod hoc ipsum, quod est motum, et ab alio præsupposito originatum, in alio genere se habeat ut movens, quia ad hoc movetur ut moveat, et tunc non consideratur, quod ad alia moveat, sed quod in suo exercitio, et formalitate elicitur a tali potentia, licet præsupponat aliam moventem se.

XIX. Denique advertendum est, quod cum istæ potentia intellectus, et voluntas ad invicem se moveant, et moveantur, dupliciter se possunt habere in istis motionibus. Uno modo, generali ratione, qua una potentia præsupponit aliam, sicut voluntas necessario supponit intellectum ea generali ratione, qua nihil est volitum, quin præcognitum, et cognitio est quasi conditio, ut finis moveat. Alio modo possunt ad invicem movere, aut moveri speciali ratione, quatenus una potentia ex motione alterius accipit specialem modum operandi, quem communicat suis actibus, ortum ex motione, et im-

pressionem potentia sic moventis; unumquodque enim movens communicat suo mobili conditiones suas quantum mobile capax est, verbi gratia, intellectus ex sua propria ratione habet ordinate procedere, et collative, conferendo unum alteri, hoc autem voluntas ex propriis meritis non habet, sed ex se solum habet inclinare, et ponderare per modum inclinationis, et impulsus in objectum. Quod vero faciat ordinate, et accipiendo, seu volendo unum præ alio, et cum collatione ad aliud, non habet ex se, et ex meritis propriis: tamen ex impressione, et ordinatione intellectus id participare potest ut patet in electione, in qua voluntas non solum vult, et inclinatur in unum quomodocumque, sed præoptando, seu accipiendo unum præ alio. Quod enim ex communi, et generica ratione immaterialitatis utriusque potentia communi non proveniat hoc quod est collative, et ordinate procedere, sed ordinare proprium sit intellectus, contra Scotum dicemus disputatione sequenti agentes de imperio.

XX. Et hanc doctrinam optime, et late tradit S. Thomas ac multis exemplis probat quæst. xxii de veritate, articulo xiii, præsertim exemplo orbium cælestium, qui proprio motu moventur ab occidente in orientem; ex impressione autem primi mobilis rapiuntur ab oriente in occidentem: et aqua maris ex proprio motu movetur deorsum, ex impressione autem lunæ movetur fluxu et refluxu: et eodem modo voluntas ex propria natura movetur motu inclinationis, et impulsus in bonum, ex impressione autem, et directione intellectus movetur cum quadam collatione, et ordine, sicut ex indifferentia iudicii movetur cum indifferentia libertatis. Et similiter e contra, intellectus proprio motu tendit in objectum: per modum manifes-



tationis, et luminis, ex impressione autem voluntatis, et ex conjunctione ad ipsam movetur intellectus cum quadam efficacia, et impulsu, sicut imperium movet efficaciter potentias, vel homines quos movet, sive sit efficacia moralis, sive physica. Quomodo autem hæc impressio fiat ab una potentia in alium, cum sint potentia immanentes in operando, dicemus quæstione sequenti agentes de imperio.

XXI. His positis discerni facile potest vis, et efficacia rationis D. Thomæ in probando, et ostendendo ad quam potentiam formaliter, et elicitive pertineat aliquis actus, quando a pluribus potentiis, seu ab earum impressione speciali aliqua ratione dependet. Et in primis quando actus non habet istam specialem dependentiam, neque oritur ex impressione duplicis potentia, sed ex simplici influxu unius, licet tamquam conditionem, et generalem rationem præsupponat operationem alterius, non fuit necesse uti D. Thomam alia ratione ad ostendendum, cujus potentia sit ille actus, quam attendere ad ejus objectum, sicut fecit, cum probavit supra quæstione undecima, fruitionem esse actum voluntatis, fruitio enim est simplex actus voluntatis, quia ad ipsam non pertinet respicere unum ordinate, vel relate ad aliud sicut intentio respicit finem in ordine ad media, et electio unum medium præ alio, sed fruitio est absoluta, et simplex complacentia de ipso fructu, seu de ultimo quod expectatur in aliquo negotio, quod pertinet ad finem, et ad bonum. Et cum hoc sit proprium objectum appetitus, qui versatur circa bonum, oportet fruitionem esse actum appetitivæ virtutis. Nec fuit necesse pro isto actu aliam probationem afferre, quia cum sit simplex actus voluntatis, sufficit ex objecto venari rationem propriam actus, et

ejus entitatem. At vero in aliis actibus, qui simplices non sunt, sed versantur circa unum objectum cum ordine, et respectu ad alterum, non sufficiebat D. Thomæ attendere ad objectum, quod est bonum absolute, quia cum involvatur ibi ordinatio, et respectus seu collatio unius ad alterum, et collatio seu ordinatio ad rationem, et discursum pertineat, indeque originetur, oportuit has formalitates evolvere, et videre quænam ex illis correspondeat tali potentia ut elicenti, et consequenter ibi sit exercitium, et substantia talis actus, et quæ correspondeat potentia ut moventi, et dirigenti præsuppositive, et antecederet tantum.

XXII. Igitur loquendo de his actibus, qui correspondent duplici potentia, et versantur circa aliquod objectum cum ordinatione, et collatione ad alterum, aut cum aliqua participatione alterius potentia, in primis supponimus, non posse actum essentialiter, et ex æquo pertinere ad utramque potentiam; tum, quia est actus immanens, et non potest exire entitative ab utraque; tum, quia illæ potentia sunt diversæ speciei, aut generis, et non possunt parturire actum, qui sit entitative unus, et unius speciei: actus autem de quibus in præsentia loquimur, sunt unius entitatis, et speciei. Quo supposito optime D. Thomas processit ex principio posito, scilicet, quod distinguamus id quod materialiter se habet in tali actu, et ad ejus elicentiam pertinet, quia ibi consummatur, et perficitur, seu exercetur actus, et id quod formaliter se habet, non formaliter specificative tantum, aut intrinsece constituens, sed formaliter motive, quasi potentia extrinsece ordinans, et imprimens, ut colligi potest ex illis verbis, quæ S. Thomas ponit in articulo primo hujus quæstionis: « Quod actus qui es-

sentia est unius potentia, recipit speciem, et formam a superiori potentia, vel habitu secundum quod ordinatur inferius a superiori. » In eo enim quod dicit actum essentialiter esse unius potentia, clare supponit entitatem, seu essentiam, aut substantiam actus eliciti ab una potentia, licet ab alia dependeat ordinatio, et directio ejus quoad aliquam formalitatem, et speciem, vel modum secundum quod ordinatur inferius a superiori, ut dicit citatis verbis: si enim dependet ab ea solum motive, et antecederet, non proxime, et elicitive, certum est ad illam priorem potentiam entitative non pertinere.

XXIII. Quare restat ad explicandam efficaciam rationis D. Thomæ ostendere, quod in electione, intellectus solum extrinsece, et antecederet imprimat, et voluntas substantialiter eliciat. Et idem proportionate oportet applicare intentioni, imperio, usui, et aliis actibus similibus, de quibus dubitari solet, an sint formaliter, et entitative actus intellectus, vel voluntatis, ut actus spei, fiducia, etc. Et quia isti actus mutuo requiruntur, et concomitantur, aliquando sumitur unum pro alio, sicut credere aliquando applicatur voluntati, quia volendo creditur; sperare applicatur iudicio, quia sic iudicatur futurum; imperare applicatur voluntati, quia obligando, et movendo quis præcipit. Sed tamen ad hoc discernendum, et videndum quid proprie unicuique conveniat, quid antecederet, et præsuppositive, D. Thomas solum attendit ad id in quo consummatur, et perficitur aliquis actus, et in quo exercetur. Quod si de hoc ipso dubitatur, scilicet ubi perficiatur, aut exerceatur aliquis actus, recurrit D. Thomas vel ad experientiam, et communem usum, vel ad id quod ipsum nomen talis

actus significat quia in naturis, et essentiis rerum indagandis, cum definitio rei non possit demonstrari, sed sit principium demonstrandi, non possumus recurrere ad aliud principium, quam vel ad experientiam, quia a sensibus omnis doctrina, et scientia ortum habet, et per experientiam ceperunt homines philosophari, vel a communi hominum, et sapientum conceptione, quod per nominis impositionem, et communem modum significandi habetur.

XXIV. Et ita agens D. Thomas de intentione supra quæstione XII, articulo primo, incipit indagare naturam illius actus ab ipsa nominis significatione, quia intendere significat in aliud tendere. Et in quæstione XVI, articulo primo, ex eo quod usus importat applicationem alicujus rei ad operationem (quod pertinet ad significationem nominis) supponit hanc applicationem pertinere ad ejus essentiam. In quæstione autem XVII, art. I dicit, quod imperium essentialiter est actus rationis, quia imperans ordinat eum cui imperat ad aliquid agendum intimando, vel denuntiando, quod quidem experientia ipsa motum est quando aliquid videmus præcipi, et imperari alteri. In hac autem quæstione XIII, art. I, ostendit electionem substantialiter esse actum voluntatis, quia perficitur electio in motu quodam animæ ad bonum, quod eligitur, quod etiam ad experientiam reducitur, quia quantumcumque aliquis iudicet, et discernat aliquid præ alio, tamen non perficitur electio quousque acceptetur a voluntate, et tunc dicitur eligi, quamvis exterius aliquo verbo, vel dicto id manifestetur. Et e contra fides pertinet substantialiter ad intellectum, quia quantumvis aliquis velit, quousque intellectus amplectatur ut verum, et ei assentiat, non dicitur credere,



sicque ibi consummatur actus credendi. Sperare autem e contra se habet, quia quantumcumque aliquis iudicet de futuritione, aut possibilitate rei, nisi illud acceptet voluntas ut assequendum, et vincendum, non speratur. Sic ergo cum in electione interveniat exercitium voluntatis tamquam id in quo consummatur, et perficitur electio, si quidem in ipsa acceptatione unius præ alio censetur electio consummata, et nihil amplius restare ut dicatur, et denominetur aliquid electum. Unde quidquid ordinationis, et collationis in hoc actu invenitur, cum proveniat ex directione rationis, et motione ipsius, licet formale sit quantum ad rationem movendi, et ordinandi, et actuandi, tamen non in eo consistit formaliter, sed antecederet, et præsuppositivè, quia hoc se habet ut movens, et disponens, ac dirigens, non ut eliciens, quia non ibi consummatur, et exercetur ultimum, quod ad electionem spectat. Quod totum ex solutione argumentorum amplius innotescet.

XXV. Ad primam ergo difficultatem supra positam respondetur solutione ibi data, quod D. Thomas non loquitur in præsentem de formali intrinsece specificativo, sed de formali extrinseco, et movente, vel motione directiva ordinante, vel efficiente, et applicante. Et ad primam replicam dicitur, quod licet in omni actu concurrat objectum specificans et potentia eliciens, non tamen in omni actu hoc objectum proponitur ab alia potentia ordinante, et dirigente, sicut fit respectu appetitus, nec in omni actu applicatur una potentia ab alia, sicut in his, quæ a voluntate applicantur ad operandum. Et ideo non omnes actus dependent a duplici potentia, nec semper ex impressione, et motione unius potentie relinquitur in alia specialis aliquis modus operandi, quem

non habet ex se, sicut in præsentem contingit. Et ideo in electione non solum concurrat potentia, et objectum, sed etiam potentia, et intellectus, et voluntas, eo quod una potentia movet aliam dirigendo, et ordinando, et insuper imprimendo voluntati specialem modum ordinate, et cum collatione procedendi.

XXVI. Ad secundam replicam, negamus D. Thomam petere principium; nec loqui de solo generali modo concurrendi intellectus cum voluntate. Non petit principium, quia D. Thomas non infert electionem esse actum voluntatis substantialiter, ex eo quod supponit antecederet motionem intellectus ut allicientis, et proponentis objectum; sed ostendit quod licet electio dependeat a superiori potentia, scilicet intellectu, quantum ad id quod formale est in electione ex parte moventis, et ordinantis, non tamen in se, et entitative est actus intellectus, sed voluntatis, quia in motu voluntatis perficitur electio, id est, consummatur, et exercetur ibi. Hoc enim ponit D. Thomas in calce corporis articuli pro ratione, et causa, quod electio substantialiter est actus voluntatis, et non rationis. Et ita ratio D. Thomæ sic ordinatur: In actibus animæ, actus qui est essentialiter unius potentie recipit formam, et speciem a superiori potentia, vel habitu; sed ratio præcedit actum voluntatis, et ordinat illam, quia voluntas tendit in objectum secundum ordinem rationis; ergo actus quo voluntas tendit in aliquid, quod proponitur ut bonum ex eo quod per rationem est ordinatum ad finem, materialiter est voluntatis, et formaliter rationis, et in huiusmodi substantia actus materialiter se habent ad ordinem, qui sibi imponitur. In toto hoc discursu non loquitur D. Thomas de electione in particulari, sed de actu voluntatis ut

sic, et in communi, et sic non petit principium in his verbis, quia nondum loquitur determinate de electione, sed tradit doctrinam generalem. Subdit ultimo de actu electionis, quod substantialiter est actus voluntatis, et non rationis, quia perficitur electioni in motu quodam animæ ad bonum quod eligitur. Ubi etiam non petit principium, sed probat esse actum voluntatis, quia perficitur, seu consummatur electio in voluntate, et substantia, seu entitas actus ad eam potentiam pertinet, ubi ultimate consummatur, non unde incipit motio ad illum.

XXVII. Quod evidentius expressit D. Thomas in quæstione xxii de veritate, articulo xv, dicens electionem esse directe actum voluntatis; tum, ex ejus objecto, quod est id quod est ad finem, et hoc est bonum, quia est utile; tum, ex ipsa ratione actus, quia electio est ultima acceptio, qua aliquid accipitur ad prosequendum, quod quidem non est rationis, sed voluntatis, nam quantumcumque ratio unum alteri præfert, nondum est præceptatum ad operandum, quousque voluntas inclinatur in unum magis, quam in aliud, non enim voluntas de necessitate sequitur rationem. Et utramque hanc rationem (licet brevissime) D. Thomas in articulo præsentem insinuat. Primam quidem ex ratione objecti dicendo, quod actus voluntatis, qui tendit in aliquid, quod proponitur ut bonum ex eo quod ordinatum est per rationem materialiter est voluntatis, et formaliter rationis; et ideo electio substantialiter non est actus rationis, sed voluntatis. Sed quia hæc ratio, quæ procedit ex objecto, adhuc non clare demonstrat illum actum esse voluntatis, quia posset quis dicere, quod objectum electionis non est bonum absolute, sicut in fruitione, sed prout ordinatum a ratione, et sic

potius pertinebat ad rationem; addit secundam ex ipsa experientia electionis deductam, quia perficitur, id est, consummatur electio in motu voluntatis ad bonum; quod latius explicat in citata quæstione xxii de veritate, quia electio est ultima acceptio qua aliquid accipitur ad prosequendum, et per istam explicatur ea, quæ ponitur in hoc articulo.

XXVIII. Ex hoc autem etiam deducitur non loqui D. Thomam in præsentem de solo generali concursu intellectus cum voluntate, qualis etiam invenitur in simplici, et absoluto amore, sed de speciali, quatenus constituit objectum bonum in ratione ordinari per rationem, ita quod respicit unum cum collatione, et ordine ad aliud, et sic ex ipsa conjunctione ad intellectum recipit voluntas specialem modum operandi secundum collationem, et ordinem unius ad alterum, ut supra explicavimus, et tradit D. Thomas dicta quæstione xxii de veritate, articulo xiii. Et ideo non eodem modo dubitatur de simplici amore ad quam potentiam pertineat, et de actu electivo, vel intentivo, aut aliis similibus.

XXIX. Ad tertiam replicam respondetur D. Thomam generaliter loqui de quocumque principio, seu potentia superiori movente, et imprimente inferiori, sive quoad formam, et speciem essentialem actus, ut quando ei proponit objectum specificativum, et primum; sive quoad speciem accidentalem, ut quando dirigit ad finem extrinsecum, et superadditum; sive quoad aliquem modum, aut conditionem requisitam, ut cum voluntas imprimat modum efficacitatis, et voluntarii exercitii actibus aliarum potentiarum. Quocumque ergo modo se habeat potentia superior ut movens quoad aliquam formam, et inferior ut mota,